nis. Cui cogitationi favent Verſiones: Perſ. *Bibere faciamus patrem noſtrum vinum.* Rab. Ionath. *Potabimus patrem noſtrum vinum.* Chald. & Sept. *Potemus vino.* Arias-Mont. *Propinemus patri noſtro vinum.* Irenæus: *Potionemus eum vino.* Caiet. *Faciamus bibere vinum.* Et Theodoretus, *Vinum largiùs affundamus.* Hæc digna notatu iudicavi, omiſſa quæſtione inutili, An Lot, & filiæ eius peccaverint: in qua ſuum velle cuique eſt, abundanti in ſuo ſenſu. An deliquerint, vel non, Deus ſcit. Ergo ad noſtram eruditionem, cùm in quæſtione ſint tot ſententiæ, quot capita.

Verſiones

ADINATON EXEGETICUM.

1. *Inebriemus eum vino.* Antequàm potus, notatur ebrius, quippe deficit modus.
2. *Inebriemus eum vino*: ſiquidem Superiores plerumque inebriantur zelo.
3. *Inebriemus eum vino. Vino*, ut officij filiarum ſignetur charitas: ſed *inebriemus*, ut celetur iniquitas.
4. *Inebriemus eum vino.* Vino, ut ſenſim ducatur in ebrietatem, & ebrius ignoret crimen.
5. *Inebriemus vino*: igitur ſi indulget potationi, indulgebit ebrietati.
6. *Inebriemus vino.* Maior erat ebrietas, quàm curioſitas: & admittitur culpa, vel minoris viſà pœnà.
7. *Vino*, etenim irà plurimi inebriantur in throno.
8. *Vino inebriemus.* Et filiæ? Et patri? Et virtuti? *Vino inebriemus*: ſemper enim in periculo virtus.
9. *Vino*: corporis ebrietate, ſiquidem anima inebriatur amore.
10. *Vino*: Quippequàm amor inebriatur incendio.

DIDASCALIA PRIMA.

Ne quid nimis.

S. Ben.

1 MOnet Præſules SS. Patriarcha Benedictus *Regul. S.* cap. 64. igitur medio tutiſsimum iter, & matrem recognoſcit prudentiam, iter etiam latum inter dextram & ſiniſtram. Navis Reſpublica eſt, in mari ſine moderamine & tollitur & mergitur: periculum impendit utrinde; & ſemper excidium, vel alliſio navis, vel naufragium. Innuit Horatius lib. 2. *Carm.* Od. 10. v. 1.

Periculoſum hominum regimen.

———Neque altum
Semper urgendo: neque dum procellas
Cautus horreſcis, nimium premendo
Littus iniquum.
Rebus anguſtis animoſus, atque
Fortis appare: ſapienter idem
Contrahes vento nimiùm ſecundo
Turgida vela.

Horat.

Reſp. in ſtar maris.

Anceps ſanequàm articulus rerum, ubi uſquequaquè & undequaquè periculum, & difficillimum attingere medium. *Nimis eſt* (ait Auguſtinus in *Pſalm.* 118.) *quicquid plus fuerit, quàm oportet. Parum eſt, quod minus eſt, quàm oportet: nimium eſt, quod plus eſt, quàm oportet.* Eſt modus in rebus: utique, ſed difficilis modus: quandoquidem ſæpe, vel propter delicatam genij conditionem, vel propter rectorum peſsimam indolem, vel falſam fortunæ dexteritatem; fabrica corruit regiminis, tenſis loris & indultis.

Auguſt.

Difficilis modus in rebus.

2 Regula in artem neceſſaria eſt. Videte regulam. *Non ſit Abbas turbulentus, & anxius, non ſit nimius & obſtinatus, non zelotypus & nimis ſuſpicioſus, quia numquàm requieſcet.* Ita Glorioſus Legislator ubi ſup. De zelo & ſuſpicione loquemur Didaſc. ſeq. Non ſit Præſes *turbulentus* vultu, non ſit *anxius* animo, non *nimius* in iudicio, neque *obſtinatus* in decreto: ſiquidem ſi in cunctis commovetur, in cunctis angitur, cuncta fert per apices legum, & quod ſcriptum, ſcriptum; potiùs cenſebitur ebrius, quàm poteſtate prælatus. *Inebriemus eum vino*, dixerunt filiæ Lot. Non eſt Tautologia: plerumque inebriantur homines plenitudine iniquæ poteſtatis: igitur inebriantur & errant non à vino, ſed à cerebro. Verùm cur filiæ Lot non dicunt: *Potemus eum vino*, ſed *inebriemus*? Potio ultra modum à filiabus intenditur, dum pro ſubſidio mœroris deſideratur: & ante pocula etiam filiæ vocant ebrium, quia exceſſurus modum. Veritas prudentiæ Superiorum patet in modo, tamquàm in vino: etenim non titubaret ratio, ſi biberet, ut viveret, & minimè ut filiabus indulgeret, conſiſtente ad regimen formà rationis, ne quid nimis.

S. Ben.

Quæ non debet habere Prælatus.

Gen. 19. 32.

Clariùs promam. Plerique poti ſuperioritate in vertiginoſo culmine, turbulenti,

Poteſtate inebriatur, ubi modus deſpicitur.

an-

anxij, vel nimij, vel obſtinati faciunt, quod non facerent ebrij: igitur pro qualitate potus, animus concutitur obſtinatus, nimius, anxius, turdulentus. Turbantur prætermittentes, & crimini repugnantes. Anguntur, fragilitati indulgendo, & non indulgendo. Nimij ſunt in iudicio, gravia arbitrantes minora, & minima magna; quin obſtinati in ludicris & in ſerijs mutent conſilium, quoniam non rationis, ſed poteſtatis propoſitum. Hiſp. *Empeño.* Unde in regimine quaſi in ebrijs nutat ratio, quippe in expeditione apparent ſine iudicio. Quid ergo faciendum, ut prudentiæ præſtet fulgidè regula? Breve conſilium.

Solœciſmi regiminis.

Inter utrumque vola.

Ovid.

3 Calix in Scriptura pœnam graviorem deſignat, & dignitatem. Urget cruciamen in expreſsionem doloris, cui ſociatur nonnumquàm dolor regiminis; quippe pars hæreditatis pars calicis, ut viciſsim inclinetur ex hoc in hoc mœror & gaudium honoris. Calicem Aſſertor exponit, dum thronos ambitus ſitit: igitur ſi throni ad regimen, quod deſignatur per calicem, ut rectum ſit utcumque in regimine iudicium; docet quo modo à bibituris bibendum. Ventum eſt ad crucem, ubi Salvator accepturus erat pretio ſanguinis in cuncta dominationem; & miniſtri priuſquàm illum crucifigerent, propinarunt & calicem: *Dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum, & cùm guſtaſſet, noluit bibere.* Vinum huiuſmodi erat inebriativum, & ſoporiferum; ut alliquibus placuit, ſicuti expoſuimus in *Lit.* num. 41. & noluit bibere, ut cognovit; quippe hominibus maximi periculi, neſcire mori: & utique neſcit, qui ratione ſopità non cognoſcit. Vigilare nos Dominus iubet propter adventum furis, corporum noſtrorum domibus inſidiantis. Si ſpolia detrahit, dum vigilat ratio; quid traditâ ſomno? Vitia ſunt calix inebriativus, quo ratio ſoporatur, quando congruit vigilare: & qui intendit ſuperare mortem, non vult bibere; quoniam ſi maxima pœna mori, maior neſcire. Vigilet homo, ne bibat; & ut obdormiat, non dormiat. Ergo inſtituto.

Matth. 20. 22.

Matth. 27. 34.

Maximi eſt periculi, neſcire mori.

4 *Cùm guſtaſſet noluit bibere.* Quare bibere noluit, ſi guſtavit; vel quare guſtavit, quod bibere renuit? Exceſſus & crimina ibi erant hominum (quippe vinum totum falleum) quorum pœnam, quia voluit, ut homines liberarentur, ſubivit: verùm ut fel deguſtavit noxæ, noluit bibere. Amplexatus eſt criminum hominum pœnam, cæterùm minimè culpam: & guſtatum calicem noluit bibere; ut Superioribus Princeps modum traderet prudentiæ. Multi igitur in ſubditis ſunt exceſſus, qui clementiam invocant, & iuſtitiam. Si non guſtaſſet, videretur nimius: at ſi bibiſſet, videretur blandus. Non eſſet locus miſericordiæ, ſi guſtaſſet; nec locus eſſet iuſtitiæ, ſi bibiſſet: & verus & imitabilis in cunctis Dominus, dum homines habet ſubditos, ut modum in regimine ſtatuat; minimè bibit, quod guſtat: quippe non modus derogare iuſtitiæ, quod conceditur clementiæ.

Non eſt regimen deregare iuſtitiæ, quod conceditur clementiæ.

5 Cæterò. Calix inebriativus ſæpe Superiori porrigitur, ut ſubditi eclipſi rationis regant, & non regantur. Aliqui nec guſtare volunt; quippe illis videtur ius, quod ius ſummum. Alij omninò, eſtò myrrhà plenum, calicem bibunt: quia nullum ius arbitrantur præter voluptatem ſubditorum. Nimij ſunt, & indulgentia & iuſtitià: ſiquidem nimis, quod plus, quàm decet; quodque minus, quàm oportet: & Chriſtus cùm guſtaſſet, calicem bibere noluit; quippe nullo modo regnat in throno prudentia, dum nihil prætermittitur, vel omnia.

Non eſt prudentia, ubi nihil prætermittitur, vel omnia.

6 Deinde. Auſteritas eſt, ubi propinato potu, dicit Præſes: *Nihil tranſeat.* Proiectio turpis, dum decernit: *Tranſeant omnia.* Hic proterit legem: ibi relegat ab homine humanitatem. In utroque vitium, quippe ut ait Seneca in *Oedip.* Act. 4. v. 909. labaſcet,

Quicquid exceſſerit modum.

Senec.

Si regit auſteritas, propulſatur in regimine charitas. Si nimia viget indulgentia, regnat audacia; quæ quia promptum indultum, vel in abdita introducitur ſcelerum: & Chriſtus ut Prælatos in conſilium dirigat; non bibit potum, quod guſtat. Guſtat, quia remittit quicquid congruit indulgentiæ fragilitatis: non bibit, quod non convenit exactioni iuris. Guſtat, quia in multis uti fragiles offendunt; non bibit, quia malitioſè delinquunt. Guſtat, ſi errant & cæſpitant mente: non bibit, dum errant corde. Guſtat, ne nimio iure criminibus territi, devient à templo miſericordiæ: & minimè bibit, ne abuſi clementià corruant in maiora crimina.

Ubi non ambigitur de indulgentia, inſurgunt maiora crimina.

7 Denique. Frequens de Prælato querimonia. *Omnia reſpuit, omnia ſorbet: Nihil tranſit, nihil non concoquit. Vomit culicem, & deglutit elephantem.* Hiſpan. *Nada diſsimula, y todo lo traga.* In medio conſiſtit virtus, ut prudentiæ fulgeat thronus. Si calicem fellis hauriretur uſque ad fundum, Prælatus remiſsior eſſet; igitur omnia eſtò fellia, & minimè potabilia, in ſtomachum tranſirent. Non bibendo, patebat, quòd amara diſplicerent; quandoquidem

vel

Omnia Præſes non reſpuat, nec deglutiat

vel primoribus labris guſtando, uti nociva, ratio non recipiebat ſtomacho. Nihil diſsimulare, eſtò acerbum palato, præſcripti iuris, eſt conſilium imprudentis poteſtatis. Omnia omnibus indulgere, eſt proculcare regimen, & ſubditos invitare tamquàm impunes in crimen. Calix proponitur uti cauſæ merita & acta, de quibus ſententiam dicat iuxta rationem prudentia: Chriſtuſque dum amaritudo criminum propinatur, & iudex in cauſa ita gravi conſtituitur, noluit bibere, ſi dignatus eſt guſtare; quia in iudicio ſuperioris iudicis, aliquid indulgendum, ſed non omne. Regula prudentiæ eſt, nec plus, nec minus: unde guſtat, & non amplius; quia ſi minus, Præſes conſuleret legum ſeveritati: ſi plus, ſubditorum blandimini: & ut conſtet ſtabile rationis imperium, aliquid profectò expuendum, & aliquid tranſeundum.

Aliquid indulgendum, ſed non omne.

8 Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum, ideſt genus humanum, quod primæ legis fractione impingebat uſquequaquè cæcitate. Lumen cæco Salvator reſtituere propoſuit, & mirificum collyrium gratia confecit; ut rediret arte Conditoris in regimen legis, & gloriam quam amiſerat prolubio cupiditatis: ſimulque ut diſcerent Superiores elati ad maieſtatis thronos, quo ſtudio Dominus illuminat cæcos. *Fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos eius.* Lutum. Fovet pectoris faſtum formationis ignorare principium, maximè in homine, qui factus eſt homo è pulvere. Lutum eſt medicamen, verùm nota confectionem. *Fecit lutum ex ſputo.* Quid? Non eſt aqua, ut ad lumina cæci præparetur medicina? Eſt utique, ſed ſalivà dumtaxàt nanciſcenda. Ex ſputo aliquid extra proijcitur, tamquàm ſuperfluum; aliquid tamen glutitur, ut neceſſarium: & dum Archiater intendit aperire oculos cæci nati; addit pulveri humorem medicabilis ſalivæ: quandoquidem ut cæci ſubditi illuminentur, & quò iuſtum eſt, ſuavitate ducantur; nec omnia à Præſide expuenda, nec deglutienda omnia. Vividè Hiſp. dialecto. *Ni todo ſe ha de eſcupir, ni todo ſe ha de tragar.*

Ioan. 9. 6.

Semper nocua omnis indulgentia, & nulla.

9 Formationis humori non reſpondit humor reformationis, ut prævaleret in lucem efficacia medicaminis. Formavit Deus hominem de limo terræ, hoc eſt ex aqua & ex pulvere. Reformavit luto, quod non expulvere & aqua; ſed ex pulvere & ſaliva. Qui reformantur, ſanè à forma defecerunt, pulchritudinem primam obliterarunt, aliàs minimè manus artificis occuparent, ut in primævam venuſtatem artis ſtudio redirent. Sputum & tranſit in ſtomachum, & proijcitur in humum. Non omne proijcitur, nec omne voratur: & ubi intenditur reformatio, collyrium conficitur ex ſputo; quippe ad reformationem cæcutientium ſubditorum, aliquid prætereundum, & multoties indulgendum. Neceſsitas exigit, ne ſiccetur faucium gula, quòd humectetur ſalivà: verùm quæ ſtomachum gravat; expuitur linguà, ne noceat. Unde per ſputi confectionem, notatur prudentiæ regimen; quoniam rationis decretum, expellere ut conculcetur, ſuperfluum; & in conniventiam deglutire neceſſarium.

Aliquando diſsimulandum.

10 Occurrit collatio ſedium facta à Salvatore diſcipulis, propoſitis meritis obſequij & renunciationis. *Reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo* (dixerunt) *erit nobis?* Illicò Chriſtus: *Sedebitis ſuper thronos.* Thronos obtinet gloriæ, qui calcat vanida terræ, qui ſe relinquit, qui Salvatorem quærit; igitur per huiuſmodi virtutes, ſedes habentur in cœlis. Summa meritorum in thronos gloriæ, eſt *Sequi* & *Relinquere.* Sequi in Deo omnia, & relinquere omnia: quippe non virtutis ſtudium, ſequi aliquid præter Deum. Alia ſunt virtutis merita, ut ſedeant in cœlo; & alia regiminis, ut ſedeant in mundo. Ubique thronus, ſed aliter virtus: etenim ad thronos gloriæ oportet ſequi omnia, & omnia relinquere; verùm in regimine ad gloriam throni congruit nec relinquere, nec ſequi. Sequi & relinquere, compendium eſt regiminis & virtutis; ſed ut luceat in regimine virtus, debet regere modus: quoniam ut canit Boëtius lib. 1. de *Conſol. Phil.* Met. 6. v. 20.

Matth. 19. 28.

Omnia in mundo relinquenda, ut in cœlo habeatur gloria.

Signat tempora proprijs
Aptans officijs.

Boet.

Huiuſmodi recti regiminis munia dividuntur crebrò inter puſsilanimitatem & ambitionem. Ambitioſi ſequuntur omnia: timidi relinquunt omnia. Abeſt omninò rationis regula. Aptiùs dicam. Plerique in ſede maieſtatis omnia relinquunt titulo pacis, & veritate formidinis, prementis undique cor; cum *Pax, pax*, & non eſt pax. Alij omnia ſequuntur larvà zeli & ſpecie religionis, iniurià, ſeu vindictà perſonata affectionum, cum voce: *Enſe recidendum.* Meliùs dixerim cum Tacito lib. 1. *Annal.* cap. 49. *Quos quietos ſimul nox habuerat, diſcedunt in partes, ingerunt tela. Clamor, vulnera, ſanguis palàm, cauſa in occulto.* Cadet utique glorià & cadet palmà, quiſquis in throno ſecutus fuerit, vel reliquerit omnia. Sequi, & relinquere eſt dexteritas prudentiæ, ne quid nimis: igitur cùm iuxta temporis & cau-

Latet vindicta ſub iuris larva.

Tacit.

Ars prudentiæ in quo maxima?

cauſæ conditionis circunſtantias (quæ inveniuntur hic & nunc) ſit iuris aptanda lex; ut ſedeat iudex in ſede maieſtatis, gaudeatque iurè maieſtate ſedis; prudentia ſtatuit, nec omnia ſequenda, nec relinquenda omnia.

11 Contemplemur ergo in inſigni duci, & Legiſlatore prudentiam, & à Domino perſcriptam: quoties res ſunt utrinde in extrema linea, & utrobique deliberationibus obviant incommoda. Regnum numquàm & nuſquàm admittit placidè ſocium: quandoquidem cor humanum non tantùm reſpuit ſuperiorem, ſed in regimine æqualem. Ita ſimultatem (& ſæpe cum ſimultate) habet faſtidio; ut non parcat, ſi princeps, ſanguini proprio. Haud aliter videntes principes principem; Maria & Aaron locuti ſunt contra Moyſen. Detraxerunt ſermonibus veritatis, & quod nequivere malis, vindicaverunt querelis. *Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Nonne* (dixerunt) *& nobis?* Minimè dextrè in malitia cogitarent, ni querelas larvà virtutis induerent. *Nonne nobis*, nonnumquàm petra ſcandali, in qua frequenter offendit, qui ſibi in omnibus conſulit: ſiquidem ſi proprio pectora carerent amore, nec præſtigioſum eſſet ſtudium philautiæ; nullatenùs à ſurdijs audirentur tot querelæ. Ipſi ſibi condemnant, dum exprimunt querimoniam. *Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? Nonne & nobis ſimiliter eſt locutus?* Sit. At patet diſcrimen, quòd vobis loqueretur, vel per Moyſen. Non per vos loquebatur, ſed loquebatur vobis, ut revereamini in Superiore fratre dignitatem Præſidis: etenim dum loquitur Prælatus, per illum loquitur Dominus: & claret in querelis abundantia malitiæ, dum ſcitis per illum Dominum loqui. Proh dolor! Si pectore regnat ambitio, quantumvis in Superiore cognoſcatur vox de cœlo.

Ambitio non parcit ſanguini.

Numer. 12. 2.

Vox Domini in voce Prælati.

12 Non audivit Moyſes: & in articulo rutilat documentum ſingulare, quandoquidem (maximè quibuſdam canibus, qui non pro feritate latrant, ſed pro conſuetudine, ut ait Seneca in *Excerpt.*) iniurias & querelas confictas & pictas penicillo phantaſiæ, dignitatem decet, & oportet nec audire. Devoluta eſt iſtiuſmodi cauſa in Deum, quin plures Prælati habeant anxij in periculis refugium, quia non intrarunt per oſtium. Onus ambitio ſuſcepit, oneri pectus ſuccumbit, quia non eſt qui adiuvet. Sermo obſcurus non ivit in vacuum, igitur audivit cœlum, conſcio detractionis Moyſe, ubi defenſionem audivit in tribunali. Nihil pro ſe, vel in detractores loquitur, vel uſtus non commovetur, nec movetur. Cur igitur, qui in prævaricatores legis ita excanduit, ut *viginti tria millia hominum* per miniſtros occideret; deſes modò nec agnoſcat motum iraſcibilis primum, nec bile accenſa ullum proferat verbum? Ut præclarè ſe gerat, & Prelatos maximè vivaces inſtruat: igitur zelus erit & non ira, quoties pro Deo iraſcitur, & pro ſe nec verbum loquitur. Si iniurias Dei acerrimè corripit, & ſibi illatas mitiſsimè prætermittit. Si intendit ſatisfacere alienis, & parcit libentiſsimè proprijs.

Querimoniæ fictitiæ non audiendæ à Superiore.

Exod. 32. 28.

Quo cognoſcitur motus iræ, vel zeli in Superiore?

Hoccinne annexum ſingulari virtuti, ſed minimè latet officium Superioris prudentiæ. Detrahentes Moyſi & erant fratres, & fuerant in libertate populi principes, qui egregiè ſeſe geſſerant, & habuerant credita felices exitus, ac numeris omnibus abſolutos: cæterùm ſi fratres, & principes transformantur in æmulos; propter bonum pacis, etiam cedendum eſt iuſtis, adſtrigenda pacis fœdera, non rumpenda litium vincula. Ferendum eſt diſsidium tacito corde, non ferro & igni: etenim cùm ad Dominum ſpectet ſatisfactio, ſanum certè conſilium, totum committere Deo: verùm ſi ex patientia, genitrice pacis pia, naſcitur notha inſolentia; utendum eſt gladio, ut detruncetur præſumptio acie rigoris, propter ipſum bonum pacis: igitur dum venitur ad arma, non relinquenda, ſed ſequenda omnia.

Aliquando propter pacem conniven dum, aliquando debellandum.

13 Conflictum videamus, & exitum ex anfractu conſideremus: Alea iacta eſt. Ducebat gaudibundus, quem eduxerat populum de domo ſervitutis, & illicò ſtetit anxius in medio perplexitatis: igitur à tergo reſpiciebat inimicam Ægyptiorum validam manum; & coràm, mare quod impediebat effugium: quo in ſtatu vel rumpendum erat mare, vel tradendus populus ſub manu hoſtili. O Præſules! O fucatæ dignitates! Pectora plena ſunt curis, dum capita micant infulis. O munera! Plus habetis doloris, quàm voluptatis. Ecce cor Moyſis diſſectum, quoniam huic inde periculum; urgentia diſcrimina, & ianua fortunæ clauſa. Summum fatum ſortis omninò ſiniſtræ, ubi vel prudentià inevitabile. Ergo ab extrema tegula pendebat cauſa; cùm Moyſes dicebat in corde, circundato amaritudine: *Deus, Deus meus.* Ad quid *Deus*, commotus reſpondit Dominus? *Quid clamas ad me?* Quid igitur, & ad quid? *Eleva virgam*, & nanciſceris victoriam. *Eleva virgam.* Quouſque abutetur pervicacia patientià? Quouſque machinabitur diſcrimina? Eleva virgam. Si modò non, quando? Obices in publicum bonum, nacta occaſione meditatum artis

Quàm auſij ſæpe Præſides?

Exod. 14. 15. 16.

artificium, & virga in manu cum poteſtate omnimoda, ratione & auctoritate! Quid clamas ad me? Eleva virgam & rumpe. Inter ſacrum & ſaxum? Ergo quate. Inter malleum & incudem? Ergo percute, concute, recute. O clemens Deus! Tanta auſteritas in exacerbitate poteſtatis? Utique. Impediebat aqua introitum, ut tranſirent à ſervitute in terram delicioſam promiſsionis: & Moyſi iubetur, uti poteſtate, & mare percuſsione dividere; quia ferre, & perferre devenuſtat prudentiam, ſi eſt neceſſarium rumpere, & erumpere, ut pacificè tranſeant.

Utendū eſt, toto rigore iuſtitiæ, dū petunt cauſæ.

14 Creditur Moyſi virga, ut minimè tradita poteſtas ſit otioſa. Iuxta expoſita iudicio, erit Præſidis decretum, nequid nimis exequatur in cauſis concurrentium ſubditorum: quandoquidem ſi malum eſt, abuti poteſtate; peius ſanè, aliquando non uti. Pateat exemplo, ut diſcamus Quando. Cùm in aquis deſignentur indoles hominum, quippe ſicut aqua dilabimur, aquæ Iordanis erunt ſpecula clariora, in quibus circunſpiciatur Præſidum in diſcrimine prudentia. Dux populi pro Moyſe à Domino conſtituitur Ioſue, qui cùm perveniſſet, ut tranſiret Iordanem, ſecum portans Arcam fœderis præſidem; aquæ Iordanis (ut ſicco pede populus fundum calcaret, & ſine labore laborem tranſiret) urbanè diviſæ ſunt, ita ut ſequerentur fluxum versùs Mare mortuum, & aliæ contra propenſionem recurrerent in originem. Quæ ſursùm, ad inſtar montis intumeſcentes ſtabant, & quæ deorsùm, uti fluxæ deſcendebant. Ita Dominus promiſerat Duci. *Aquæ inferiores decurrent atque deficient: quæ autem deſuper veniunt, in una mole conſiſtent.* Magnum profectò miraculum, & novum. Si aquæ Maris Rubri ſolidantur à dextris, & à ſiniſtris, tamquàm rupes cryſtallinæ, & pellucidi muri, donec populus tranſeat, & permanent mobiles immotæ ſic; quare aquæ Iordanis non ita immobiles ſtant? Aliæ invitè detinentur & aliæ præcipitantur? Næ: intendit Dominus in initio principatus Ioſue ductorem docere, quiſnam modus prudentior in regimine. Iuxta qualitatem ſubditorum & cauſarum, providendum à Superiore decretum; quippe ſi abdicuntur qualitates, minimè reſolutiones prudentes. Multoties in pectore Prælati datur contentio, an bonum in diſcriminis & occaſionis articulo, negotium ſequi; vel melius erit, relinquere? In utroque aliquid mali, & in utroque micat aliquid boni, rationis perplexitate: & ut Ioſue videat ad prudens regimen regulas, Dominus dividit fluentes & ſtantes aquas: quippe aliquando ſubditorum indulgendum fragilitati; & aliquando obſtandum inclinationi. Iuxta prudentiæ modum, ſanum erit Superioris conſilium. Erit prudentia, dum Præſidi fuerit forma, interdùm ſcilicet, prætermittendi inclinationis propoſitum, interdùm intermittendi præcipitis cordis curſum.

Cur in mari Rubro aquæ ſteterunt & Iordanis ſunt diviſæ?

Ioſue 3. 21.

Curſum ſubditorum Præſes interdum prætermittat, interdùm intermittat

15 Etiam in huiuſmodi miraculi ſpectabili theatro, exprimitur norma prudentiori conſilio. Adhibetur exemplar, ut ſtudeat Superior cautioni, & indulgentiæ, ac quando conſulere debet bono zelo, & ſuſpicioni. Zelus ſæpe nimius eſt, & omnia reprimere vult; quod aliquando non congruit; quoniam licèt magnum, obeſſe curſui præcipiti; ut fiat, feſtinandum eſt lentè, temporis maturitate: etenim temporibus medicina valet, & medicina nocet. Unde ut pectora quieſcant ab amaritudine, ignis zeli fulgurantis carere debet ardore; quippe ni ſopiantur ardentia, non rutilat flamma. Perplexus quandoque iactus, & periculoſus rerum articulus, igitur in omiſsione conſcientia vaſa mortis conſtituit, & ſagittas ſuas ardentibus effecit. Magna rationis obſcuritas, ubi titubat poteſtas, an faciat, vel nihil fiat, quia in diverſis non eſt forma: & ut habeat inconcuſſam regulam vel iuxta expeditionum diverſitatem; aquæ à Domino dividuntur, dum Ioſue ſuſcipit regimen: etenim ſi ex aquis aliæ detinentur, & aliæ præcipitantur; Prælatos informant, ut moveantur, & ut quieſcant. Quomodo? Vide. Quæcumque præterierunt, decurrant: quæcumque venerint, ſiſtant, & minimè tranſeant. Vernaculè: *Lo que paſsò, dexarlo correr: lo que viniere, no dexarlo paſſar.*

Quod præterivit, prætereatur, at quod venerit repugnetur.

16 Arca in medio Iordanis erat, ſeu inter aquas inferiores decurrentes, & ſuperiores ſtantes. *In medio Iordanis alveo, ubi ſteterunt ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis.* In Arca erant tabulæ legis: & decurrentibus aquis, quæ deſuper erant, contra inclinationem ſteterunt. Ecce exemplum in obſervationem mandatorum: igitur cuncti legem obſervant, modò legem, qui Superiores non tranſeant. Superiores fuerant, & ſtantes erant ſuperiores, igitur dum decurrunt, à culmine cadunt; quippe ſi leges meditatò proteruntur, plerumque ab illis, qui Superiores fuerunt. Inferiores declinarunt aquæ, ſed cùm lex non eſſet ibi: quæ deſuper, occurrunt, ut decurrant; ſed appropinquaverunt, & ſteterunt: ſiquidem ſummum eſſet audaciæ præſcripta tranſilire, & coram lege.

Ioſue 4. 9.

Exemplū in Superioribus neceſſarium ad cuſtodiā legum.

Sæpe relaxatiores qui fuerunt Præſides.

Cap. 3. 13.

17 Perpende obiter: Aquas decurrentes vocari *inferiores*; at quæ deſuper, non vocari ſuperiores, etſi coram lege ſtantes. Aliqui ſibi dicunt (quod notat Gregor. Magn. Homil. 17. in *Evang.*) *Eo ipſo quò cæteris prælati ſumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus*, & meditanter non dicuntur ſuperiores, aquæ ſtantes deſuper, & culmine eminentiore; quoniam nemo & ſuperior, ſuperior lege. Aliæ præcedentes tranſierant. Venit lex, & ſubſequentes ſtabant. Fluere & decurrere in prona naturæ, eſt conditio & hominis & aquæ; ſicut officium Præſidis plantare & deſtruere, ædificare, & diſperdere. Deſtruere in ſubditis inolitum, videtur grave periculum: & lex collocatur in medio aquarum præcedentium & venientium; ut ſapientiæ altiſsimæ Præſes ſequatur conſilium. Quæ præterierunt, prætereant: quæ ſequuntur, iurè conſiſtant, non tranſeant: igitur licèt in utroque diſcrimen, dum propter ſucceſſorem mutatur regimen; facilius eſt venientibus & impetuosè reſiſtere, quàm currentes iuxta proclivitatem revocare. Denique in medio aquarum conſtituitur lex, ut conſtet, quòd virtus ſtat in medio. Lex revocare poterat decurrentes, ſicut ſtare compellebat ſtantes. Verùm nec omnia tranſierant, nec omnia ſtabant: igitur ut rutilet prudentia Superioris, & ne quid nimis; oportet, ut aliquid ſeverè compeſcat; & etiam aliquid manſuetudine indulgeat. Audiatur Apollo apud Ovidium lib. 2. *Metam.* Fab. 1. conſulens monitis filio.

Nemo ſuperior lege.

Greg. Magn.

Faciliùs eſt ædificare quā deſtruere

Verſ. 17

Prudentia in mediocritate.

Parce puer ſtimulis, & fortius utere loris.
Nec preme, nec ſummum moderare per aëra currum.
Inter utrumque tene.

Ovid.

DIDASCALIA II.

Diſcretio mater virtutum.

S. Bened.

1 GNome eſt SS. Patriarchæ Benedicti *Regul. S.* cap. 64. Cui ſubſcribit Bernardus Serm. 49. in *Cant.* dicens: *Diſcretio non tàm virtus eſt, quàm virtutum moderatrix, ordinatrix affectuum, & doctrix morum: tolle hanc, & virtus vitium erit.* Modus debet eſſe in virtute, quippe virtus non erit ſine modo.

Bernar.

Sic quod præcipiti via
Certum deſerit ordinem,
Lætos non habet exitus.

Boet.

Canit Sev. Boëtius de *Conſ. Philoſoph.* libr. 1. Metr. 6. v. 20. *Homo ſanctus in ſapientia manet ut Sol.* Ubi *Sanctus*, legunt Rom. & Græca; *Senſatus.* Optima poteſt eſſe Superiori voluntas: & coniunguntur in regimen diſcretio & ſanctitas; quippe nullatenùs habebit ſanctitatem, ſi expulerit diſcretionem. Hæc uti ductrix dirigit, & exceſſum in quolibet conterit. Unde dum zelo pro tempore imponitur modus, Præſes dicitur ſenſatus; ſiquidem vel in maxima virtute proterens modum, non habebit intellectum. Aptandus eſt occaſioni zelus legis, quoniam illuminat, & urit velut ignis. Aufugit virtutis illuminatio, ut uritur moderaminis diſcretio. Illuminatio intellectionem connotat, ardor zeli voluntatem inflammat. Utrumque profectò neceſſarium, ut ſtet prudentiæ conſilium: quo procul, Præſes bonam habebit voluntatem, cæterùm peſsimam mentem.

Eccl. 27. 12.

Non eſt forma virtutis, ubi abeſt moderationis.

2 Perpende. *Homo ſenſatus in ſapientia manet ut Sol: nam ſtultus ſicut Luna mutatur.* Senſatus in ſapientia manet: ſtultus in ſapientia non permanet. Ordo curſus Solis & Lunæ, exponitur ſymbolum & ſapientiæ & ſtultitiæ: ſapientiæ, cum ordinato regimine; ſtultitiæ, ſine ordine: igitur dum adeſt, vel abeſt modus, Præſes vel videtur ſapiens, vel ſtultus. Zelus legis & virtutis dicitur Sapientia, & aptè; quandoquidem ſtat in cognitione, & minimè in voluntate. Zelus bonus eſt: & in zelo apparet Superior ſenſatus, & ſtultus, iuxta conditionem ſubditorum & tempus: igitur cum diſcretione rutilabit intellectus in regimine; & in ſapientia zeli antecellet ſtultitia, quando abſuerit à regimine prudentia.

Ibid.

Zelus, ſi abeſt prudentia, eſt ſtultitia.

3 Inſuper. Senſatus manet, & ſtultus non permanet. Lex gaudet proculdubio firmitate. Zelus debet eſſe pro lege: attamen cùm vel apud Ethnicos (conſulas Cicer. lib. 1. *Offic.* & Columell. lib. 1. de *Re ruſtic.*) ius ſummum ſit ſumma iniuria; Præſidis apparet imprudentia, ex eo quòd permanet, dum immutari congruit; & immutatur, cùm permanere debet: quandoquidem lunaticus indulget ubi obſtandum, & obſtat ubi cedendum. Ulteriùs. Lunæ igitur confertur ſtultus; vel eſt ſtultus, quippe Lunæ confertur. Uti luminare magnum, Luna præſidentiæ nocti deſtinatur: cæterùm illicò ut apparuit thronus, apparuit illa *luminare minus.* Hæc eſt Præſidis cum Præſide collatio, nec ſine exemplo. Plerique priuſquàm accedant in Reipublicæ moderamen, videntur habere ſpectabilem omninò diſcretionem, Syndereſim claram, phroneſim lucidam, æmulabilem prudentiam; ſed qui ſenſati uti Sol, in throno ſtatim convertuntur in Lunam: ſiquidem ſtulti, fanatici, zelo ebrij, modò præ-

Præſes ſtultus cedit, ubi obſtandū & obſtat ubi cedendum.

Geneſ. 1. 16.

Non lex, exequi leges per apices iuris.

præſcripta ſint legis; cuncta imprudenter ferunt per apices iuris.

Geneſ. 19.32.

4 *Inebriemus eum vino*: cogitarunt filiæ Lot. Ad quid vini expreſsio, ſi intenditur inebriatio? Quia inebriatio non ſemper derivatur à vino. Zelus ſæpeſæpiùs conficit, quod in cerebrum vinum nimis potum influit. Adæquatè enim vino ſimilis zelus: potum parcè confortat, ſed largè potum inebriat. Zelus ſolus eſt inſania, ſcientia ſola eſt aſtutia, ſcientia cum zelo prudentia: & dicunt filiæ Lot, *Patrem inebriemus vino*; quoniam multi Præſidum in throno, & largè inebriantur zelo. Aſtruit Boëtius ubi ſupr. *Metr*.7.v.10.

Boet.

Tu quoque ſi vis lumine claro
Cernere verum, tramite recto
Carpere callem; gaudia pelle,
Pelle timorem. Nubila mens eſt
Victaque frenis, hæc ubi regnant.

S. Bened.

Smaragd.

5 Qui diſcretionem matrem plaudit virtutis, ſubdit hæccine pro modo Præſidis. *Non ſit obſtinatus, non zelotypus, & nimis ſuſpicioſus, quia numquam requieſcet.* Suſpicioſus Præſes ita definitur à Smaragdo hic.cap.64. *Suſpicionis typo repletus, qui etiam ea quæ non fiunt, fieri in abſentia ſuſpicatur; & ea quæ nemo committit, committi in abſcondito pertimeſcit.* Si ſuffragium meum iuvaret; planè dicerem: Perperus erit ſubditus, qui ita cogitat Prælatus. Non dicit Patriarcha: *Ne ſuſpicioſus*, ſed *Ne nimis.* Non ſuſpicioſus eſt fatuus; ſuſpicioſus verò nimis, malignus. Suſpicio in nimio, ſi ingreditur, numquàm egreditur: in ſapienti ingreditur & egreditur è latebris cordis: Superiorque debet eſſe ſuſpicioſus, ſed non nimis; quippequàm cùm ſuſpicio ſit ſæpe fallax, non congruit eſſe in cogitatis pertinax.

Prælatus non ſit pertinax rati, ſed recti.

6 Zelatorem informat Benedictus Prælatum, & renuit eſſe zelotypum. Zelus eſt ira, quam virtus iniuſtitiæ impatiens, excitat. Zelotypia, eſt typus zeli, ſivè exemplar & figura: & dedecet Præſidem eſſe zelotypum, dum eligitur in zelatorem legum; quoniam minimè in regimine erit legum obſervatio, dum apparet zeli in Pectore Præſidis dumtaxàt ſimilitudo. *Idolum zeli in ipſo* templi *introitu* vidit Ezechiel. Ad idolum zeli in zelum; quoniam in iram provocabat ſtomachum, videre in throno zeli tantummodò ſimulachrum. Quanta latent! Quanta patent! Quoties arbitrantes zelum, adoramus idolum? Quoties pro ſubſtantia ſubſtituitur apparentia? Purum putum eſt idolum, cùm rutilat religio, & eſt imago: micat exactio iuris, & eſt venalis ſpecies: fulget beneficium quaſi gratìs collatum, & re verà eſt latrocinium: lucet reverentia in ſanctuarium, & abominabile committitur ſacrilegium: his ſcatet turpe ſæpe Præſulum pectus; quia ſpecies, idolum zeli in introitu, & non ampliùs. Verùm hoc late *Didaſc.ſeq.* num.19.

Sit zelator, non zelotypus.

Ezech. 8. 5.

Sæpe conſulunt ſibi ſpecie zeli.

S. Bened.

7 Zelator debet eſſe Prælatus, & *non zelotypus, nec turbulentus, nec obſtinatus*: ait Patriarcha ubi ſupr. Verba ſunt diverſa, ſed idem ſignificantia: igitur ita zelo ebrij ſunt, ita obſtinati, & decretis turbulenti, ut quaſi lunatici furant, & quæ vident non diſcernant. *Regula* (ait Seneca *Epiſt*. 77.) *non quàm formoſa, ſed quàm recta ſit, quæritur.* Unde zelus ſine prudentia habet elegantis formæ venuſtatem, ſed regulæ & amuſsis nullo modo rectitudinem.

Zelotypi furibundi.

Senec.

Ut perpendiculo cunctos manus ipſa labores
Dirigit artificis, ſic quoque verus amans.
Verus amans recto numquã de tramite flectet.

Oth. Væn.

Ait Otho Vænius Embl. 39. *Amor.* Zelotypus amorem habet, ſed non verum, quippe à tramite recto recedit: & in cunctis quæ dirigit (eſtò rectis) patet cogitationis imperfectio; igitur deficit à prudentiæ perpendiculo. Nec greſſum dirigit, quin turbulentus cæſpitet. Dum magis conſilio appropinquat, magis à conſilio deviat. Tunc cæcutit, cùm obſtinato animo videtur videre, & leges fugat, dum ſuadetur conſequi.

Et obcæcati.

8 Quas non perſecutiones, percitus zelo legis, Saulus obſtinatus turbulentè excitavit Chriſticolis! Auctoramen à Principibus petijt in bonorum perſecutionem, quaſi minimè procederet in ſcelus, niſi compulſus: at cùm adverſaretur, & averſaretur iuſtos fideles, ſecurius erat flagitium auctoramine virtutis. Perſecutionem movet, dum conatur zelotypus legem implere: igitur plerumque nimius zelus legis non eſt relaxationum reformatio, ſed virtutum preſecutio. *Subditò* præcipiti, ut caderet, *circunfulſit lux de cœlo.* Lux, quia in tenebris erat lumine legis, ut videret orbus oculis: & deſuper venit, ut impetus zelotypi cordis fortiùs comprimeret: equidem non frangitur pectoris, cæci legis fumo in ſanctitatem vexatio, ni occurrerit Deus de cœlo.

Zelotypi reformatio eſt virtutis perſecutio.

Act.9.3.

9 Mittitur ut zelotypus Saulus fieret frugi, miniſter optimus ſuperiore cœleſti auctoritate, qui pace data & recepta, erupit in huiuſmodi verba myſterioſa. *Miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas.* Luſtremus cuncta, an zelotypis casù occurrat reſipiſcentia. *In via qua veniebas* Num tautologica phraſis? Videbimus *Tom.*5. *Tautolog.*2. latè. *In via, qua*

Ib.v.17

ve-

veniebas zelotypus, turbulentus, obſtinatus ſtimulo furoris, & non legis, veniebas in præcipitium, & non in legis profectum: igitur in via non ambulat, qui ambulans errat. *In via, qua veniebas.* Quà veniebas, non eſt via: ſiquidem zelus ſine prudentia non eſt ſemita, quà in cœlum tenditur, ſed quà virtus retrograditur.

Non eſt via qua ad Deum tenditur, ſed qua virtus retrograditur.

10 *Ut videas*, occurrit. Ergo cæcus iter egit: ſed non ita lamentabile, quòd cæcus, ſed quod obcæcatus. Nota perſonam imprudentis zelotypi in furente apud Horatium lib.2.*Epiſt*.2.v.126.

Singularis mania.

——— *Delirus, inerſque videri,*
Dum mea delectant mala me, vel denique fallant,
Quàm ſapere & ringi. Fuit haud ignobilis Argis,
Qui ſe credebat miros audire tragœdos
In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro.

Horat.

Videbat, & gaudebat cæcitate: diciturque delirus, quia alios furenter iudicabat cæcos. Haud aliter Saulus videns zelotypià legis, quæ iam tranſierat in affectum cordis. Mala delectabant, quæ cognitionem fallebant: & erat cæcus, quia non videbat; & magis cæcus, quia ſe cæcum ignorabat. Alios arbitrabatur oculis caligantes, quippe non videbant, quæ videbat zelo legis. Miniſter venit ut videret, ac de inſania reſipiſceret: unde ut lumini cognitionis effulſit prudentiæ ſplendor; quod videbatur zelus apparuit furor. Sanavit Archiater cœleſtis hominem, manum aridam habentem; & Phariſæi, qui repleti zelo pro diei feſtivi obſervantia, ut dicit Lucas, *repleti ſunt inſipientià.* Inſignis lectio, & zeli imprudentis vivida ſignificatio! equidem zelus ſine prudentia planè ſtultitia: & minimè qualis qualis ſpeciem inſipientiæ, ſed plenitudinem uſque.

Zelus ſine prudentia furor.

Luc.6. 11.

Et inſipientia.

11 Demùm. *Apparuit tibi in via, qua veniebas.* Miraculum utique miniſter refert, dum zelo commotus Saulus à propoſito deſiſtit: etenim zeli ardore uſtus, & furore inſipientiæ ſtimulatus; etiam coram Deo, prodigium eſt, quòd deſiſtat à propoſito. In via ut lucem cæcus videret, Chriſtus qui Patris ſapientia apparuit, ut qui addictus tenaciter proprio iudicio fallaci, reſiſteret ab errore iudicij depoſitione. In zelotypo cùm iudicet perſecutione iuſtorum, ſe obſequium præſtare Deo; impoſsibilis videtur eiuſmodi depoſitio: & pro ſigno miraculi converſionis in corde duræ cervicis, exponitur quòd lux in itinere apparuerit; quoniam ſummum miraculum, ut illuminari poſſet. Deus fecit: quis niſi Deus quiret, valeret, & prævaleret? Palàm fit zelotypus, dum ita ſe gerit Saulus. Cunctorum obliviſcitur: vel dum quærit Deum, perſequitur; quoniam nihil intelligit præter *Lex dicit*: & quòd Deus illi apparuerit in via, dicitur à miniſtro tamquàm res nova; ſiquidem omninò mirabile, dum æſtuabat zeli ignibus inflammatus, quòd cogitationi tenaci occurreret Deus. Vividius Hiſpanicè, quippe æquivocè: *Milagro fue en tanta tenacidad, que ſe le occurrieſſe Dios.*

Miraculum eſt iudicij depoſitio, in imprudenti zelotypo.

12 Alij autem regulam ſibi fingunt, & ſubditis in exactam obſervationem exponunt. Unde non regula eſt ſibi regula; ſed modus obſervantiæ proponitur pro ſanctiſſima lege: & ſæpe lucet cogitationis fatuitas, quod celebratur obſervantiæ regularitas. Veſtem propriam deſtinant Lunæ, genij & ingenij diverſiſsimi humani; ut ſtrictis creſcere non poſsit, niſi crepet; & laxis relaxetur, dum induitur. Arma Saul aptare conantur Davidi: viri, iuveni; quæ quidem nec defendunt, nec ornant, verùm ſpiritum gravant. Vincere cogitabat exercitio gigantem Dæmonem, & excuſsit qui puer armaturam gravem. Repulit arma, quia non congrua, & ſibi non arma: igitur illis neceſſariò timebat ſuccumbere, dum alius illiſipſis confidebat prævalere. Gratiæ diverſæ ſunt: in domo Patris cœleſtis multæ manſiones, quippequàm in hominibus multæ virtutes. Regi arma, Davidi funda: etenim ſi mutantur inſtrumenta, introducitur ruina pro victoria. *Non poſſum ſic incedere*: ait. Incederem, ſed non ſic. Perperàm volabit imperfectionem, qui ſic & ſic non poteſt movere pedem.

Deliria Præſidum larvata ſpecie virtutum.

1. Reg. 17. 40.

Verſ. 39.

13 Præſidentia confertur Adamo in piſces, ſed in piſces maris; in volatilia, ſed ſuperioris regionis; in reptilia & beſtias, ſed telluris. Omnia diſtincta & diverſa ſub eodem Præſide, & omnium imperatore, qui quidem obſervare debet in cunctis diverſitatem, ut qui ſubſunt, in cunctis obſervent ordinem. Alij incipiunt, alij proficiunt, alij conſummantur. Incipientes ambulant, proficientes currunt, conſummati volant: & ubi ineſt Præſidi ſpiritus, & abeſt imprudens zelus, cum ſtantibus ſtat, cum ambulantibus it, cum elevatis à terra per contemplationis alas, debet aſſumere pœnas. Verùm quia ille volat (ſi volat) velle diſcipulum ſequi, & in æthera tolli; non ſpiritus perfectio, ſed exhalantis in Dominum ſuffocatio.

Gen. 1. 28.

Seſe accomodet Superior genio boni ſubditorum.

14 Imitari intendebat Petrus prodigia Magiſtri ſine virtute, quo morbo ſæpe laborant, quiqui ſtudent philautiæ, non requirentes virtutem propter virtutem, ſed pro-

pter

Singularitatis argu.

pter honorem, ambientes ſigna, ut virtus appareat falſa: igitur evaneſcit & virtus & honor, dum uti miraculum oſtenditur virtutis ſingularis ſplendor. Indulſit Dominus facili conamini curioſitatis, ut Petrus diſceret, quid facturus, ubi Præſes. Vidit Petrus Magiſtrum ſuper aquas ambulantem,& voluit ſolus experiri virtutem. Alij laborabant ut ad Magiſtrum pervenirent remigando, & ſine periculo: igitur ſecuriùs & faciliùs pervenitur labore, quàm ambita ſuſpicioſa ſemper ſingularitate. Raro qui inter pericula ſequitur, conſequitur. Venitur aliquando, ſed non pervenitur: at ſi obtinetur propoſitum, ſemper miraculum.

Matth. 14.28.

Intende. *Iube me* (dixit) *venire ad te ſuper aquas.* Ab ordine cæterorum recedit? Profectò cadet. *Iube me.* Videtur virtutis vox, & eſt proprij amoris ars; quaſi à ſe ita receſſerit, dum ſui ſatagit, quòd nec actionem extra communem ordinem haberet minimam, niſi per iniunctam obedientiam. *Iube me.* Cupita iuſsio: non quod vis præcipias, ſed quod volo: ita ergo fovet amorem proprium, & obedientiæ intendit conſequi præmium. *Iube me venire ad te.* Ut perveniat ad Dominum, ſitit præceptum? Imo in ſui commendationem, uti imperfectus, Petrus quærit miraculum; ut habeat excuſationem intendens temeritatem, tamquàm abſuiſſet conatus, ni fuerit iuſſus: & altiùs recondebatur vitium ſingularitatis, dum intentio micabat velo virtutis. *Super aquas.* Aliter, minimè iubeas. Non quærit Deum, ſed ſe quærit, qui ita pervenire ſatagit. Illi à philautia diſponitur ſemita, quæ nulli via: ducit ſingularitas; ut non Dei, ſed propria fiat utcumque voluntas: etenim ſi non ducitur quò vult, & quo velit; quò ſe tendere dicit; nequaquàm ibid.

Titulo ſanctitatis ſibi conſulit.

15 Ultrà progrediamur. Sicut Magiſter, volebat ſuper aquas ambulare, & ait: *Iube me venire.* Conceſsit, & ambulavit; ſed in curſu cæpit mergi, & abſdubiè mergeretur, ni acceſsiſſet in periculo Salvator. Acuit mentem: Cur Dominus annuit Petro per aquas greſſum, cùm præſciret in progreſſu naufragium? Præſul Petrus futurus, in quibus quandoque zelus, ut ſubditi non aliam ducant viam, Deum querentes; quàm quà proficiſcuntur Superiores: minimè ſe aptantes genio, & inclinationi rectorum, ſed horum in proprium retorquentes ingenium: & ut diſcat præſul Petrus, ex his quæ paſſus; per naufragium exponitur periculum zeli, ardentiæque immoderatæ, in animarum regimine: quandoquidem dum permittit (quid, ſi intendit?) ſe à ſubditis ſequi, ubi & quando non ſequendus; periclitabitur virtus. Gravat pondus imperfectionis. Via fluxa eſt, ut ſpiritus ſit ſtabilis: ſollicitante naufragium, qui permiſerit greſſum; quoniam minimè via, quà ſubditi in profectum eleventur, ſed quà virtutes ſummerguntur, ſpiritus ſuffocantur. Transfertur fervoris ignis ex altari pectoris, quo ſursùm flamma, in puteum ubi nequaquàm reſpirat: unde reclaſus ſuffocatur, extinguitur, tranſiens multoties in aquæ frigiditatem, dum intenditur clauſurà conſervari fervorem. Falluntur miſerè Præſides in regula directionis: igitur via mandatorum leviter curritur, dum cor ſubditorum inter exercitia dilatatur.

Verſ. 29

In ſubditis fit imitatio virtutis Præſidis, non modus ignitionis

Pie. Val

16 Roſa, ut aſtruit Pier. Valerianus *lib.* 55. *cap.* 8. eſt ſymbolum regni, & recti regiminis. Roſa armatur ſpinis, & delectat ſenſus fragrantià odoris. Rutilat venuſtate foliorum, & pungit acerbitate ſpinarum. Utroque gaudet, & utroque floret; etenim ſi tota ſentes, non eſſe roſa, ſed rubus: ſi tota flores, langueret dignitatis reſpectus: & in roſa ſymbolum exponitur Superioris prudentis; quia aliquando ſubditis ſuavis, aliquando verò debet eſſe terribilis. Ni intelligere velis, ut ſubditi tacitè ſtimulentur in virtutem, videntes ita figi Superiorem; congruere ſæpe ſibi ſervare pungentes ſpinas, ſubditis blandientes roſas.

Roſa ſymbolum prudentis regiminis.

S. Bened.

17 Videte Superiores recti prudentiam à cœlo probatam. S. Patriarcha N. uſum carnium *niſi debilibus & infirmis* interdicit: *Regul. S.* cap. 36. Moti eius ſanctitatis fama Monachi aliqui Græci, magiſterium optarunt, ut ſub vexillo Regulæ Chriſto validiùs militarent, maximè præſente Duce. Pervenerunt ergo, ſed ex itinere laſsi, & aliqui ægrà ærumnis valetudine; quibus iuſsit apponi in cœnam carnes, ut reviviſcerent conquaſſatæ vires. Noluerunt comedere, conſcientiæ ſtimulis acti, quinimò cum aliquo ſcandalo facilis indulgentiæ. *Benedictus igitur* (refert Gabriel Bucelinus ad *Ann.* 535. cognoſcens cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt) *mellifluis verbis cæpit eos conſolari, & ut cum charitate comederent, vivis exemplis exhortari. At cùm ſolari nollent, Domino noſtro ſe committens, duxit eos ad cæmeterium fratrum. & facta oratione vocans mortuos fratres, clara voce præcepit, ut omnibus audientibus dicerent, ſi pœnam aliquam ſuſtinerent pro comeſtione carnium, quas iuſſu eius comediſſent. Mira res, & omninò ſtupenda! Clara voce omnibus audientibus reſponderunt: Imò Pater Sancte, magna nobis gloria: & quia mandatis tuis in omnibus obedivimus, in ſinu Abrahæ collocati ſumus, & ante conſpectum Divinæ maieſtatis cum Angelis, & SS. Confeſſoribus ſemper adſtamus, donec dies iudicij veniat, & reſumptis proprijs corporibus, duplicem ſtolam recipiamus.* Ecce quomodò Benedictus elegit ſibi mortificationis ſentes, & ſubditis protulit pro opportunitàte flores.

Stupendum miraculum S. Benedicti.

Bucel.

Corona cur radiata, & ſpiculata?

Solorz.

18 Olim coronæ radiatæ & ſpiculatæ, ut capita coronatorum pro meritis commendarentur fulgore dignitatis, vel ſpiculis timoris. Extra, radios habebat, & decore tribulos.

Tantæ molis ineſt regi diadema coruſcum.

Cecinit Solorzanus *Emblem.* 15. & pro epigraphe addit: *Munus inverſa docebit.* De curis, atque angoribus agit coronæ, ut ambitio tanti non emat, neque ſitiat pœnitere. Aliud acumen habet radiorum vulnerantium, & rutilantium acumen, ut ſit poteſtatum ſuaviſsimum moderamen. Corona & habet radios auctoritatis fulgentes, & peracutos ſocios poteſtatis mucrones. Quo non pungit, ut ſubditos pungat, coronam apprehendit, qui ſtudet in munere portare maieſtatem, & non laborem. Ita munus minimè docet: *munus inverſa docebit*: quandoquidem plauſibile regimen, ubi ſibi Præſes legit amaritudines, & licitas ſubditis pro tempore prætermittit voluptates. Nemo obſtat, ut dum ſubditi vacant ſobrio convivio, ſicut Iobus ſacrificet Deo, & ſicut David induatur cilicio: verùm ſibi deliciæ, & filijs pœnæ, ſibi roſæ, alijs ſpinæ; non eſt phroneſis regiminis, ſed phreneſis: quandoquidem nullus ſequi quibit Superiorem, ni viderit præcedentem.

Parcit ſubditis, qui ſibi non parcit

19 Hi, qui nolunt onera vel digito tangere, zelotypià ſæpe ſtimulantur in munere. Prætereunt res graviſsimas, & excandeſcunt ad leves prætermiſſas ceremonias; quaſi parum interſit, quòd Domini præcepta frangant, modò lotis manibus ad menſam ſedeant. Hic eſt zelus? Expuit muſcam, & colat ſtatuam? Excolat culicem, & devorat anguem? Cur iraſcitur? Quo movetur? Furit abſdubiè. Sitiebat ſanguinem Iudæorum impius Aman, quam perſonam cum moribus induere ſolet Præſes ſuperbus. Quia Mardochæus non flectebat genua, flagrabet irà. Plerique coram tyranno, quia genua non flectunt, ſtudiò etiam ad recta curvantur. Idola conſtruit maieſtatis ambitio, quæ arte vivificat adoratio; igitur pungit corda tamquàm vulnus lethale, omiſsio propudioſæ reverentiæ. *Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.* Quanta pœna in huiuſmodi crimen? Ipſe offenſus cogitatione decrevit: *Iuſsit excelſam præparari crucem.* Conſidera culpam, & pœnam. Contemplare zelo perculſum quaſi fulmine tumidum Præſidem. Fovet cum zelo furorem: igitur ni inſaniret; nullo modo iuberet, ſubditum ſuſpendi & tolli in crucem, quia ingredienti aut egredienti non fecit inclinationem. Hiſp. *Por faltar à una ceremonia, què le aborquen!*

Præſes furioſus, qui nimius.

Eſth. 3. 2.

Cap. 5. 14.

20 Perpende. Superior conſtitutus à Rege, non ſtudebat iuri, ſed tantum adorationi, ut penes eum eſſet imperium per fas & nefas omnimoda auctoritate, & voluntate lege; quandoquidem communitatem numeroſiſsimam & religioſam delere decrevit Ethnicus, quia reverentiam, quæ Deo, ſibi non tribuebat populus. Regulam inconcuſſam aſsignat Seneca, ut iuſſum Superioris innoteſcat ratio, vel iniuria. *Hæc autem* (ait *Epiſt.* 47.) *præcepti mei ſumma eſt. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum ſuperiorem velles vivere.* Iniuria erit, quam tibi à Superiore factam, iudicares iniuriam. Erit iuſtum regimen, iuſsio ſecundùm legis, aut rationis rectitudinem: verùm intolerabile, quòd Præſes decernat tamquàm iuſtitiam, quod ſubditus arbitraretur offenſam; nolens prætermittere omiſſam leviculè inclinationem, qui nullam & nuſquàm obſervævit legem, ſibi parcens circa totam legem fractam, & ſuſpendio intendens corrigere ceremoniam. Afficiuntur ſæpeſæpius huiuſmodi vulnere, qui ſubditi ſemper defecerunt à lege, & ratione dignitatis recipiuntur frugi. Hic ars neceſſaria eſt, ut non excutiant iugum, qui totà vita voluptuosè portarunt: equidem non eſt legis iuſtiſsimæ auctoramen, ſi ante officij dignitatem Præſes peſſundedit legem.

Senec.

Summa Prælati.

Legem reſpectivam facit perpetui.

21 Paulus converſus redijt in Ieruſalem, unde exierat, ut vexaret aſſeclas Chriſti, & illi in templo, in ſtupore mentis oranti, dicitur: *Feſtina & exi velociter ex Ieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* Quare ergo ſi inter Gentes acceptiſsimum Pauli teſtimonium; in Ieruſalem minimè recipiendum? Superiores eſtò immaculati, conditioni humanæ ſubiectioni adverſæ, plerumque odioſi: igitur ſi egrè fert præſtantiſsimos meritis, quid deteriores? Paulus acerrimè perſecutus fuerat, quorum legem prædicabat: & eius interdicitur prædicatio, ubi nota perſecutio; quippe non congruit, quòd legem extollat vocibus, cui contradixit prædicator operibus. Suſpicioſa lex utique, in qua opera adverſantur præſcriptæ legi: & Paulus quantumvis prædicator eximius, deputatur regionibus, ubi non po-

Act. 22. 18.

A relaxatione etiam præteritæ præſidis, cenſetur falſum teſtimonium veritatis

notus: igitur ibi vita teſtimonium erit prædicationis; & ubi notus, iudicabitur falſum teſtimonium veritatis.

22 Ultra. *Non recipient teſtimonium tuum de me.* Veritatis eſt profectò teſtimonium, ſed non recipient, quia tuum. Per alios tui inſtituti recipietur novæ legis prædicatio, per te etſi veritatem agnoſcant, recipiet nemo: ſiquidem lex bona amittit auctoritatem, dum frangi videtur per ipſum prædicatorem. Illam perſequebatis, quandiù non noveras: & in ore tuo elanguebit ſplendentis verbi claritas; quoniam malitia ſuſpicabitur, non prædicari novam legem concluſione reſipiſcentis rationis, ſed ratione collatæ dignitatis. Pridem exterminium legis novæ conabaris, modò ſequendam ardenti zelo propones. Non recipient quamvis de me uti durum, tuum teſtimonium; igitur grave cunctis in obſervatione legis, quòd qui fregit undique ſubditus, impellat ſubditos in exactionem Prælatus. Non accipient teſtimonium, quippe in vero zelo non arbitrabuntur zelum, cum viderint proclamantem, quem viderant perſequentem. Feſtina ergo, & exi velociter de Ieruſalem, ne videatur auditoribus furor, legis ardor: etenim homines videntes eiuſmodi Præſides, ſugillantes nimietatem, minimè vocant zelum, ſed furorem. Ita Dei conſilium cognoſcentis dotes & indolem Pauli. Vigilent quibus incumbit in munerum electione. Suggerit vel in bonis aliquando cogitatio: Cur is, ad cuius converſionem neceſſe fuit Deum deſcendere de cœlo? Hìc non opus eſt armis, ſed incognita dexteritate Præſidis. De aqua Galli fluminis, de quo Plinius *lib.* 5. *cap.* 32. aſtruit Cauſsinus lib. 1. *Symbol.* 42. medicè potam mederi malis corporis, immodicè verò inſaniam influere mentis. Patet zelo regula, ut extinguantur ſubditorum crimina, & ſit rationis & minimè furentis pectoris flamma. Monet Horatius *lib.* 1. *Satyr.* 1. v. 106.

Perperàm lex auditur à prævaricatore.

Aqua Galli fluvij, cuiuſnā conditionis?

Cauſsin

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines
Quos extra citraque nequit conſiſtere rectum.

Horat.

DIDASCALIA III.

Quanta iniquitates ſub velamine virtutis!

Gregor. Nazian

1 EXclamat Gregor. Nazianzenus *Orat.* 40. Exterioribus ſignis virtus cognoſcitur, verùm in pectore non cognoſcitur virtus; igitur pro virtute adorantur ſcelera; quippe ſigna virtutum, vitiorum ſigna.

Et mala ſunt vicina bonis, errore ſub illo
Pro vitio virtus crimina ſæpe tulit.

Ovid.

Canit Ovidius lib. 1. de *Rem. Am.* Allicit oculos vel virtutis nomen, quoniam rationis captivitas & blandimen; verùm virtutis tantùm rutilat velamen: igitur dum quæritur ſpecioſa æmulabilis entitas, apparet abominabilis larvata iniquitas. *Inebriemus patrem noſtrum vino*: dixerunt filiæ Lot. Uxore mortua cor mœret, ſpiritus tot inter funeſta languet: vinum curas levat, cor lætificat: ergo potemus patrem vino. Erit ne charitatis affectio? Nullo modò: velamen virtutis, & meditatum ſtudium iniquitatis; ut officio duceretur ſuaviter in ebrietatem, & ebrius admitteret execrabile crimen.

Geneſ. 19.31.

Iniquitas culta ſplendore virtutis.

O vita fallax! Abditos ſenſus geris,
Animiſque pulchram turbidis faciem induis:
Pudor impudentem celat, pietas nefandum.

Senec.

Dicebat Theſeus apud Senecam in *Hippolyt.* Act. 3. v. 915. Unde ergo huiuſmodi artificium? Dicit S. Benedictus *Regul. S.* cap. 72. *Eſt zelus amaritudinis, & zelus bonus.* Zelus bonus eſt appetitus vindictæ pro vulnere illato legi. Zelus amaritudinis eſt appetitus vindictæ propter dolorem pœnæ. Hic ut pœnam inferat: ille ut culpam auferat: cæterùm cùm multoties non ſit culpa, & regnet ira, quam lex niſi in criminoſos vetat, & ratio iurè repugnat; ne videatur apertè rumpere legem, innocentis fingit crimen: & apparet amaritudo perculſi flagrantis animi, ſub velamine pulchro, ſed pellucido zeli.

S. Benedict.

Animi amaritudo diſsimulata zelo.

2 *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum*: dixit ignivomus Elias, poſtquàm ſacrilegi, criminum iugulo dedere pœnas. *Pro Domino Deo exercituum.* Zeli boni iudex aſtruit teſtimonium: igitur zelus clarèſcit ubique bonus, dum iudex facit, quæ facturus Deus. *Zelo* (inquit) *zelatus ſum.* Zelatus eſt ſtrennè Domini gloriam coram Rege, & omni populo: cur igitur additur, quod zelatus fuerit zelo? Propter vindictæ finem, cùm Dei videret profanatum honorem. Plurimi zelantur Dei honorem non propter honorem Dei, ſed propter intuitum peſsimum utilitatis, ex zelo honoris: & Elias dicitur etiam cum vitæ periculo, gloriam Dei zelari zelo; quoniam propter gloriam ſolam Dei defendit acerrime cauſam, & non propter zeli gloriam. Ardet zelatoris pectus, ſed ignoratur, an virtus; quippe ni intereſſet propria, honoris Dei ſæpe negligeretur offenſa; & zelo zelatur, dum in profanos pectus Thesbitæ accenditur; igitur vindicta originem habuit à lege, ſed non à lege vindictæ. Zelatus eſt legem zelo, non legis dumtaxàt cultu, quo propriam improbi Præſides vindicant amaritudinem, lege tantùm ad ſpeciem: ſiquidem dum manus extollunt, & femur percutiunt, perpendentes ſubditorum audaciam, Dei proculcatam gloriam, legem protritam; ob ultionis occaſionem nactam, intrinſecùs rident, & ut ait Ovidius lib. 1. *Amor.* Eleg. 8.

3. Reg. 19.10.

Diſtant ſummè gloria zeli, & zelus gloriæ.

Secura vindicta legis larva.

Impia ſub dulci melle venena latent.

Ovid.

Ita impia, quòd honorem Dei pectus præteriret deſpectum, ni in ipſo zelo præſentiret commodum.

3 In exterminium domus Acab, & ſacrificulorum Baäl, eligitur Iehu, & elevatur in thronum Iſraël. Fecit quod ei Dominus præceperat, & gloriabatur de zelo, quaſi per illum propagata religio: unde dixit ad Ionadab: *Veni mecum & vide zelum meum.* Videamus exactè, quod ipſe cupit videri. *A peccatis Ieroboam non receſsit, nec dereliquit vitulos aureos.* Idolatra erat, & opponitur idolatris? Servat vitulos aureos adorantes, & interficit Baäl adoratores? Frequens vitium in aula, & regum amentia. Non iugulat idolorum cultores, quia adorabant idola; ſed quia quæ ipſe adorabat, non colebant ſimulachra. Minimè quia lex Domini prætermittitur, ſed quia negligunt idola, quæ veneratur; igitur idolorum ſuorum prætermiſſum adorationis ſtudium, eſt maximum ſacrilegium. Omnes aberrant in adoratione, igitur interdicitur lege: verùm in factione Principum ſupplicium promptum; ſiquidem in regno cuncta proculcantur ſimulachra præter propria.

4. Reg. 10.16. Verſ. 29

Non adorare, quæ princeps adorat, ſacrilegium iudicatur in aula.

4 Huiuſmodi idola in regimine ſunt vitia maximè factionum, queis languet in mortem vel ſpectabile regnum. Alius adorat libidinem, alius throni maieſtatem, alius avaritiam, omnes ſeipſos. *Citò nobis placemus* (ait Senec. *Epiſt.* 49.) *ſi invenimus qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui ſanctos. Nec ſumus modica laudatione contenti: quicquid in nos adulatio ſine pudore congeſsit, tanquàm debitum prendimus: optimos nos eſſe, ſapientiſsimos affirmantibus aſſentimus; cùm ſciamus illos ſæpè mentiri: adeoque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id cui contraria cùm maximoperè facimus. Sequitur itaque, ut ideo mutari nolimus, quia nos optimos eſſe credimus.* Hinc devia, quæ non via noſtra: proteruntùrque propoſitò ſimulachra, non quia idola, ſed quia aliena.

Senec.

Proteruntur idola, non quia idola, ſed quia aliena.

5 Huiuſmodi calliditatis artificium frequens inter induſtrias, ſive ſolertias aulicorum. Unuſquiſque in via errat, & ſuà; & compellitur politicà agendi ratione, ut erret regià, ne accuſare zelo poſsit, quod ipſe commiſerit. Patet in Iehu. Interfecit Ioram & ſurripuit ſibi regnum, imò fecit, ut primates civitatis iugularent ſeptuaginta filios Regis; quorum capita cùm vidiſſet, *Dixit ad omnem populum: Iuſti eſtis: ſi ego coniuravi contra dominum meum, & interfeci eum, quis percuſsit omnes hos?* Ipſe intentionem cordis expreſsit, cùm in filios regis ſubditos inſurgere compuliſſet. Populus cognoſcit regem ſine iure ad regnum, rex ſine lege à ſubditis ſemen regium iugulatum. Solicitat princeps ſubditorum crimina, ut ſemper ſit impunis commiſſa noxa. Tacet princeps, ut ſubditi taceant: indulget promptè, ut indulgeant: igitur in perduellionis culpa, in ſubditis & principe nota, ſi ſubditi inſimularent principem coniurationis; illos poſſet princeps coärguere infidelitatis.

4. Reg. 10.9.

Princeps ſæpe indulget ſubditorum criminibus, ut indulgeant.

6 Ergo inſtituto. Idolum Baäl deſtruxit Iehu, & non Vitulos aureos, cùm ad omnia idola extenderetur lex. Si Vitulos aureos deſtrueret; ſuſpicabatur ſenſim defluxum ire regnum Iſraël, cauſà religionis & proximitate templi, in regnum vetus, Iuda. Sacerdotes Baäl, & idolum non turbabant regnum, ſed religionem; & in hos convertit enſem; quippe ſine diſpendio utilitatis, zelus ardet religionis: verùm dum micat vel leve principatus diſpendium; conſervabitur idolum, zelus refrigeſcet, religio diſsipabitur, flamma fidei extinguetur in ara pectoris, quoniam à principibus ſolummodò adoratur idolum utilitatis: & flocci faciunt, quòd ſubditi offendant Dominum, modò cum religione non ſurripiant principatum.

Curat de religione, ſi congruit utilitati.

7 Cæterò. Dicunt Rabbini Iehu offenſum fuiſſe ab Acab, plurimiſque iniurijs affectum, maximè quia Iehu Baäl deſpiciebat idolum. Eligitur in regem, ut exterminet ſemen Acab & idololatriam, Dei offenſionem & populi ruinam; quæ omnia opere fauſtè complevit, ſed Vitulos aureos in excelſis adorandos reliquit. Zelus religionis urgebat in cuncta idola, & reliquit in Bethel ſcandaloſa populo ſimulachra; quoniam principum religio, ſolummodò habet entitatem à commodo. Hæc relinquit, & idolum Baäl gaudibundè ab ara proterit, infundens ſanguinem impium adorantium idolum. Hìc latebat propria offenſa, & patebat Dei iniuria: punitque in ſacrilegis in-

Sub titulo vindicationis legis, ſtudet privatis.

ſenſis & uſque ad ſanguinem, impij ſimulachri adorationem; quippequàm ſecurè ulciſcebatur iniurias particulares, ſub prætextu & colore religionis.

8 Patet hinc zelus Iehu. Laudari intendit, dum ſpecie zeli contraria facit. Zelus legis ubi non eſt incommodum, urget pectus. Remittitur, ut ſuſpicatur levem imminutionem principatus: etenim cùm lex omnem condemnet ſimulachri adorationem; qui zelator, indulget ob propriam utilitatem: quandoquidem fluxa, potiùs perfida, fide connivet, pronos in ſimulachra pervagari ſine lege. Ideo additur:

Verſ. 31 *Porrò Iehu non cuſtodivit ut ambularet in lege Domini Dei Iſraël in toto corde ſuo.* Ambulavit in lege, verùm non in toto corde. Toto corde cuſtodire legem, eſt obſervare præcepta lata, quia Dei præcepta, ſine interpretatione, ac gloſſemate legum, & ſine acceptione perſonarum: & dum pro lege in idololatras princeps conflagrat zelo, legem non cuſtodivit corde toto; quoniam adoratoribus vitulorum aureorum indulſit, quod in Baál adoratoribus acerrimè animadvertit.

Sæpe in ruinam lex iuxta voluntatem zelatoris, non zelator iuxta voluntatem legis.

Cor aptandum legi, non lex cordi. Lex reſpectiva non eſt, ut quandoque velit, & quandoque nolit adimplere cor: & in toto corde Iehu non ambulavit iuxta legum præſcriptum, eſtò inflatus extolleret pro iure zelum; quia ſatagebat interdùm de propria voluntate iuxta legem, interdùm verò de lege iuxta propriam voluntatem: unde dum expectabatur à rectis pro zelo vera religio; apparebat & culta religione abominatio: lex utique contra legem, ſpecioſum velamen, ſed velamen.

9 Nota. Iehu ergo dicitur: *Studioſè*

Verſ. 30 *egiſti quod rectum erat. Porrò Iehu non cuſtodivit ut ambularet in lege Domini Dei Iſraël in toto corde ſuo.* Si rectè non ambulavit in lege Domini, minimè aptavit operationes legi: quomodo ergò ſi legem non cuſtodivit, ſtudioſè rectum fecit, vel cuſtodivit rectitudinem, qui operatus ultra legem? Quia larvata religione. Quia egit rectum, ſed non rectè. Frequenter in Principibus latent iniquitates ſub velamine virtutis: & dum præſtant operationes floridè ad extra iuxta legis rectitudinem, ſi eviſcerantur, apparet tantùm rectitudinis velamen. Ideo cùm *tempus acceperit*, ſcrutator cordium

Pſal. 74. 3. vel *iuſtitias iudicabit*: quippequàm apparebit in iudicio abominabilis noxa, quæ coram oculis hominum extollebatur iuſtitia.

Iniquitates ſub ſpecie religionis.

Qui viderit Iehu incumbentem anxiè exterminio domus Acab, intelliget factum ſtudio pro zelo Dei: & non erat zelus, ſed ſcelus: non amor religionis, ſed principatus: igitur interfecit idololatras non propter idololatriam, ſed nec ullus remaneret, cui ius eſſet ad coronam. Rectum egit & ſtudioſè, & quia ſtudioſè non rectè. Rectum, quia domus tota proculdubiò morte digna. Non rectè, quoniam quæ agere debebat iure zeli, retorſit intuitu commodi. Unde quæ fulgebat ad extra pulchrè iuſtitia, introrsùm turpis latitabat offenſa. Exteriùs ſpecioſa religio, ſed in corde abominatio.

10 De iuſtitia, quæ cùm terras habitaret, vocabatur Erigone, fictum à Poetis, in cœlo collocatam inter Virginem & Scorpionem. *Imago iuſtitiæ.* Quapropter Virgilius mirè blandiens Auguſto, prædicit cedenti fato, lib. 1. *Georg.* v. 32.

Virgil.

Anne novum tardis ſidus te menſibus addas,
Qua locus Erigonem inter chelaſque ſequentes
Panditur: ipſe tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cœli iuſta plus parte relinquit.

Si Scorpionis virus in tribunalibus ſerpit; ſanè ingreditur iuſtitia, cùm brachia contrahit. Cogitaverunt homines in cœlo, quæ fiebant in mundo; ut exemplis gauderent, vel immune ſcelerum infamarent. Iuſtitia per Libram ſignatur, & inter Virginem, Scorpionemque ſtatuitur. *Eius corruptio.* Virgo benevola conſtelatio, nociva Scorpio: & quamvis præſtet Iuſtitia, ubi ſeparat media corruptionem & iuris integritatem; dedecus ineſt ſtateræ iuſtitiæ, dum corruptio & integritas ponderantur æqua lancè.

11 Quæritur avidè Iuſtitia in cœlo tribunalis, maximoperè ab afflictis. Lucet in throno decora, ut accedat fiducialiter cordium querela, referens libello vocis vulnera altiſsima pectoris, ut illa ſententiam fulminet iuxta legem, proterens paſsionum malignitatem: ſed cùm aſsideat Scorpio, dum ius dicit; leges malitià corrumpit, & *Pro iuſtitia, offenſa.* pro regulis iuris, virus viget Scorpionis: pro Iuſtitia, iuſtitia vulnerata, ab affectione corrupta: pro lege, pectoris amaritudo; pro iurè, cordis affectio; pro deciſsionis regula, gladius; pro ſententia vulnus; pro medicina, toxicum; pro tribunali patibulum; pro iudice, carnifex; pro cenſore, vindex; & pro theatro, venerabundà ſpecie carnificina, ut ſumptibus proprijs decolletur innocentia.

12 Huiuſmodi ſitus Aſtrææ inter virus Scorpionis, & pulchritudinem Virginis, notat toxica amari pectoris iudicis. Expeditionem argumenti cauſæ ſumit, & ſententiam de actis perfert: unde maxima (vel iuxta leges ſententià) perpetratur offenſa, quia

Sed velo rectitudinis culta quia extrinſecùs ſententiæ minimè apparet cenſura; igitur lex affectionis obtegitur lege, & nefas perſpicuo iure. Si Scorpio tantùm eſſet cum Aſtræa, palàm fieret iniuria, vulnus legis, & depravatio iuris: at iuſtitia ſtatuitur inter Scorpionem & Virginem, ut bracteis iuris ſententia eludat cogitationem, bibito veneno ſub habitu venerando: ſiquidem dum in Virgine pulchra Iuſtitiæ lucet integritas, in ſententia latet Scorpionis iniquitas.

13 *Summum ius*, ut vidimus præc. Didaſcalijs, dicitur *Summa iniuſtitia.* Aptiùs dixit Terentius in *Heautont.* Act. 4. Scen. 5. v. 48.

Terent. *Ius ſummum ſæpe ſumma eſt malitia.*

Iniuſtitia ſemper eſt: & iudex cauſam ſumit in deteriorem partem, quoniam legem habet adiutricem, & neutiquàm in iudicijs expedit, quantum licet. *Et aurata venena.* Hæc eſt iuſtitia & iniuria; ſed creſcit offenſa, dum ius ſummum eſt malitia. Malitia eſt aſtuta perverſitas mentis, quin appareat ſpecies perverſitatis. Minimè hæc reſidet in facie, ſed in corde: at cùm iuxta intentionis propoſitum, & non iuxta vel citra corticem iuris, ſit vel iuſtum, vel iniuſtum; quicquid in iudicio ſumma micat iuſtitia, eſt malitia legibus pernicioſa: igitur ſub velamine integritatis Virginis legis, graſſatur venenum Scorpionis intentionis, & vindicatur animi amaritudo, veſtita ſeu picta zelo. *Increpabant* Phariſæi cæcum, lucis avidum (cum audiſſet, quòd Ieſus tranſiret)

Irrita ars invidiæ. *ut taceret.* Ille ſedebat cæcus, ſed Phariſæi errabant obcæcati, caventes fieri miraculum. Hoccinè planè livoris officium: carebit invidia commodo; modò careat, qui meretur, plauſu: verùm ſeipſam in ſtudio lancinat, ſiquidem prodigium, & neceſsitas oppreſſa magis clamat.

Luc. 18. 39. *Increpabant, ut taceret.* Cæterùm quare? *Gentilis erat*: ſub-

Saa. dit Saa hic. Non erat ex eorum profeſsione, quia vivebat Ethnicus ſine lege; cui minimè favebat propria, eorum interpretatione ſiniſtra. Miraculum impedire volebant, ne plauderetur auctor, & amplior, quàm habebat, cederet honor.

Lex contra legē. Palàm conari, videretur audacia. Arte ergo erat conſtruenda malitia: & nulla induſtrior, ut cæcus careret lumine, & Chriſtus iurè ampliore auctoritate; quàm pugnare adverſus favoris legem, lege averſum definiente favorem. Tunc enim affectio nanciſcitur ictus, dum quod pungit ut virus, apparet zelus.

14 Videte in Iezabele calumniam Argolicam, uti à fœmina & tali meditatam, & adverſus innocentiam. Arripere intendit vineam Naboth; & falſum teſtimonium excogitat prædicatione ieiunij, quaſi argumentum eſſet de religione, ſub cuius titulo celarentur inſidiæ, optatum habentes exitum, iuxta malitiæ propoſitum. *Falſum*, ſcripſit, *teſtimonium dicant: Benedixit* (ſcilicèt, *Male dixit* per *Euphemiſmon*) *Deum, & Regem*: cuius criminis audacia luebatur capitis pœnà, iuxta præſcriptum, *Exod.* 22. 28.

3. Reg. 21. 10.

Falſum teſtimonium fatetur, & lex prohibet etiam falſum dicere teſtimonium. Hoc eſt iudicium? Haud ſatis videtur poſſe ſuperbiæ Principis, ni leges retorqueantur contra leges. Teſtimonio eſtò falſo, quin exprimeretur falſitas, poſſet comitti nefas; *Nefas pro lege.* ſed quia nefas, iuris deficiebat auctoritas. Culpa punitur iuxta legem, quæ non culpa, iuxta voluntatem. Malum, titulo legis punitioni ſtudere virtutis; ſed ſcelus habet titulum, & teſtimonium: at procax Iezabel dicit, *Teſtimonium* & *falſum*; quia nihil iam malitiæ reſtabat, ut ius deſtrueretur iure, quàm quòd nefas infandum exponeretur pro lege. *Falſum teſtimonium.* A iudicibus agnoſcitur, & tamquàm legi, voluptati Reginæ ſuffragantur. Proh dolor! Quoties à Doctoribus, à Præſulibus, à Iudicibus ſummittitur ſuffragium, agnoſcentibus etiam falſum teſtimonium! Haud munus agunt iudicum, ſed iure venali blandientium: quandoquidem non habent alias præſcriptiones iuris, præter voluntatem & prolubia dominantis.

Leges iuxta voluntatē dominantis.

15 Teſtimonium erat *Maledixit Deum & Regem*: falſum verò, quia non dixerat. Rex repulsà Nabothi erat offenſus, & indignatus: verùm ſi Naboth vineam venderet, eſſet iurè criminoſus; quippe lege cautum, ne propria hæreditas tranſiret in alienum: & adimpleri ab illo divinæ decreta legis, exponitur à iudicibus crimen læſæ maieſtatis. Vid. Ambroſium libr. 3. *Offic.* cap. 9. Sit ergo. Crimen læſæ maieſtatis crimen eſt capitis; ad quid igitur ſi in mortem ſufficit crimen expoſitum, additur in teſtimonium, quòd blaſphemaverit Deum? Ut fœmina procax non fraudaretur cupitis, & Naboth haud quaquàm fugeret ſupplicium capitis.

Ornantur cauſæ in obſequium vindictæ.

Cauſa ſi eſſet inter ſubditum & Regem, iudices poſſent ſubodorari palliatam lege aliqualem intentionem, vel occaſionem à Rege datam in huiuſmodi ambitu, ut Naboth inurbanè reſponderet cum faſtidio: erga Deum non poteſt eſſe excuſatio: & de honore Dei deſpecto agitur in teſtimonio: quippequàm in cauſa vel levi deſpecti divini honoris, etiam iudices improbi ſubſcribant oculis clauſis.

16 Vincit fœmina arte, quod nequit iu-

Cautela in vindicta propria.

ſure. Crimen erat cum duplici termino offenſionis, Dei videlicèt, & Regis: & ut pateret ſub crudelitate clementia, & ſub odio circunſpecta iuſtitia; Dei non offenſi arte inſeritur offenſa in falſa cauſa: etenim licèt generosè poſſet propriam ſine ultione prætermittere, Dei nequibat ſine ſupplicio indulgere. Unde ſpecie legis vindicta nacta, & ſine nota; quippe nemini, improbo licèt, diſplicuit quòd honorem Dei in blaſphemo vindicaret. Huiuſmodi pectora ſunt uti albata ſepulchra. Forinſecùs nitent: ſi aperiantur, fœtent. Nero uti ſcribit Suetonius Tranq. *cap.* 47. habebat præſentaneum venenum in aurea pyxide conditum. Haud aliter horum iudicum & Principum corda, foris aurea, intùs venena.

Pyxis Neronis.

17 Cadit aptè aliud exemplum, à Cæl. Rhodigino prolatum. *Apud Babyloniam in Apollinis templo auream miræ venuſtatis arculam quandoque compertam legimus, ex qua conſciſsà vis peſtilentis, ac perniciosiſsimi aëris ſeſe profuderit, ut diffluatus non modò eos qui aderant venenoſa ac lethali infeſtos tabe conficeret, ſed peſtifera, incredibilique poteſtate graſſatus longè latèque etiam in Parthos afflaret. Apud Seleutiam poſt dirutum templum, & perlatum Apollinis ſimulachrum Romam, fuiſſe à militibus inventum anguſtum foramen, quod priùs Chaldæorum Vates occluſiſſent: eoque meditari aviditate reſerato, lethiferum, adeoque atrocem vaporem deſiluiſſe, ut furens ſit debacchatum.* Hæc ille lib. 8. cap. 12. Ecce pectora iudicum ſicariorum legum, & iuris procuratorum. In ſententia fulget auro legis facies iuſtitiæ decora, verùm abduntur viſcera venenata. Honorem Dei legibus videntur quærere, & tunc Dei honorem ſatagunt intra vela profanare. Cultus rutilat elegans; & deauratur falſitas. Hypocrita nitet facies, & vìget peſtilens indoles. Specioſa aparentia, turpis ſubſtantia, ſimulachrum rectitudinis, imago veritatis, velamen Aſtrææ, titulus iuſtitiæ, vox legis, ſpecies integritatis, idolum incorruptionis: ſed reverà iugulum innocentiæ, ſtuprum iuſtitiæ, ſentina vitiorum, cloäca peſtum, ſententia ſuffragijs ſubdolè decorata, & ita in pectore cuncta venenoſa reptilia, ut plaudatur & muneretur crimen, dum iuſtitiæ & virtutis zeli dumtaxàt fulget ſpecimen.

Arcula Apollinis

Cœl. Rho.

Symbola depravatæ iuſtitiæ.

18 Aliud ingenioſum pro iuſtitia conſtuprata ſymbolum deſcribit Sebaſtianus Orozzius, nimirùm Scyllam, periculum marinum, difficilè fretum: igitur iam inter iudices quærere iuſtitiam, eſt quærere ſcopulum, quo navis cauſæ alliditur, & innocentia cum opibus naufragatur. Audiamus anonymum: an malignum? Rideamus, vel ploremus.

Orozz.

In Inſtitutis, vos comparo brutis.
In Novellis, comparo vos aſellis.
In Digeſtis, nil poteſtis;
In Codice, ſcitis modicè;
Et tamen appellamini Doctores.
O tempora! ò mores!
In Decretalibus, ſimiles animalibus:
In Decreto, fato ceto,
In Sexto, ſicut Digeſto,
In Clementinis, lupinis,
Et tamen apellamini Doctores.
O tempora! ò mores!

Iuriſconſulti imperiti.

Ergo conſideranda càuſa, qua Scyllæ confertur & propriſsimè iuſtitia. Scyllam, fingit Ovidius lib. 14. *Metam.* Fab. 1. Horatius de *Art. Poet.* à v. 1. fœminam pulcherrimam, & Charitibus ſpecioſam, dolo Circes in monſtrum fuiſſe converſam, & monſtrum portentiſsimum quaſi congruentibus membris ex diverſis animalium; ſed remanente pube tenus virginis imagine, ut magis incauti deciperentur ſpecie. Cecinit Virgilius lib. 3. *Æneid.* v. 426.

Scylla periculum marinū.

Virgil.

Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtrix,
Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

Quæ non trahet huiuſmodi prima facies? Verùm pellicit pulchritudinis ſpecies, igitur quæ apparet iuſtitia pulchro pectore virgo, eſt turpis abominatio. Videtur actio oculorum primo iactu ad amuſsim legum, quaſi ad apices rationalium præſcriptorum. Prima iudicis hominis facies iuxta momenta rationis, ſuffragium iuxta examen auctorum, deciſsio iuxta ſententiam prudentum, ut in tribunali ſedeat elegans ratio, & pulchro pectore virgo. At ſi pectus denudetur, intentio detegatur, rumpatur velum, & demonſtretur cordis propoſitum, proh nefas! pro ſpecioſitate legum, rabies adeſt canum dente commiſſa luporum, leonum, tigridum, inhumanitas ferarum, ſerpentium toxica, ac in corde aurato univerſa reptilia.

Symbolū ſtellionatus improbi iudicis.

19 Pectus hominis ſæpe dicitur templum Dei, in quo ſervatur iuſtitia. Ergo videamus templum, ut clareat quid pectus hominum. Ductus eſt in viſione Dei Ezechiel in Ieruſalem iuxta portam interiorem, quæ reſpiciebat ad Aquilonem, *ubi erat ſtatutum idolum zeli ad provocandam æmulationem.* Ideſt, Deum, ut recederet à ſanctuario. Cur ergo? *Idolum zeli fuiſſe concavum, cuius oculos plumbo idololatræ implebant, quod quidem plumbum accenſo intùs igne liqueſiebat, & imago videbatur flere:* ait Rabb. Moſes in lib. 1. *More.* Ecce ſpecimen pectoris improbi iudicis, ſeſe vindicantis titulo legis, & auctoritate poteſtatis. Neronis inſtar plorat, dum ſententiam mortis fulminat, & intùs lætatur corde, blandiens ſævitiæ. O pectus perfidum! Videtur à compaſsione fontem oriri lachrymarum, cùm à vindicta manet; igitur intùs flammis ultionis ardeſcit.

Ezech. 8. 3.

Quid & quale idolum zeli?

Rab. Moyſ.

Sub ficto zelo ardet ultio.

20 Idolum zeli in porta templi ſtatuitur, ut nil mali ingrediens in abdita ſuſpicetur; quandoquidem exulat cautio, vel dum latet malitia polita zelo, maximè in templo ubi zelus Domini & honoris maieſtatis comedunt corda ſtudioſorum legis. Facies prima in ſanctuario, quippe zeli, eximia videbatur venuſtate, & dicitur Ezechieli: *Ingredere & vide.* Quid? *Abominationes peſsimas*: ſiquidem pulchro velamento zeli, proſtituebatur pulchritudo iuſtitiæ: & provocat vel mitiſsimum in ultionem, commovens bilem, quòd velamine virtutis colantur iniquitates.

Non eſt zelus, ſed ſcelus.

Verſ. 9.

21 *Ingredere & vide.* Ingredere & vide, ſi lachrymis, vel ſine lachrymis videre poſſis. *Ingreſſus* (infit) *vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio* (iam patet Scylla, quæ querebatur Aſtræa, & pectore virgo pulchra.) *& univerſa idola domus Iſraël depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Hoc eſt templum in quo inquiritur iuſtitia? Hoc eſt pectus, ubi iuſtitiæ regnat apparentia: etenim in tribunali, ac in ſententia tenor quæritúr legum, & rupta veſte apparet in corde ſimilitudo reptilium. Prima hominis facies, poſtrema virus ſerpentis. Omnis ſimilitudo reptilium & animalium, & idolorum depicta in parietibus templi cordis per circuitum: equidem propter idola Ambitionis, Veneris, Dignitatum, & aliorum vitiorum, reptilia univerſa adorantur pro iuſtitia: & eò magis viget iudicum abominatio, quò induſtriè veſtitur zelo.

Verſ. 10

Iudicum ſub iure ſacro perpera intentio.

22 Dicit illicò Dominus: *Septuaginta viri de ſenioribus Iſrael, & unuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua.* Hæc eſt viſio: & hæc *quæ ſeniores* (alij: *Iudices*) *domus Iſraël faciunt in tenebris, unuſquiſque in abſcondito cubilis ſui.* Senes iudices erant, & quæ apparebant idola in templo, adorabant in abſcondito: igitur propter lenocinium Principum, & blandimen voluptatum, thura reptilibus adolebant, vel iuſtitiam iugulabant. O velum execrandum! O maximum criminum! Templum collocatur in corde, pectus eſt ara, ſecuris ira; victima innocentia, quam mactat in obſequium odij peſsima voluntas, & impunita omninò floret iudicis improbitas; quia gladius ſtudiosè deauratur lege, & ferrum tingitur iure. Ideo idolum zeli in abominabile crimen, quippe non erat niſi zeli velamen. Unde Iudex, ut canit Perſius *Satyr.* 5. v. 116.

Verſ. 12

Eſt zeli velamen revera crimen.

——— Fronte politus
Aſtutam vapido ſervat in pectore vulpem.

Perſ.

DIDASCALIA IV.

Deus ignoſcit, dum homo crimen agnoſcit.

Auguſt.

1 PRofert Auguſtinus Serm. 36. de *Verb. Dom.* Ingeritur ita diſsimulata voluptas intra cordis incauti faciles latebras, ut ſtudium expulſionis, videatur ruſticitatis. Mulcet, & arte ingenioſè placet, quaſi citra delictum non poſsit voluntatis oſtendi tædium. Ducitur animus huiuſmodi lenocinio, colubri latente veneno, quod titillat in deſiderium voluptatis; & ſimul in mortem cordis, rependens vel breve pectoris officium, dum propinat ſitienti dulce venenum. Definit luculenter Stoicus Cordubenſis. *Voluptates* (ait *Epiſt.* 51.) *latronum more, quos Philetas Ægyptij vocant, nos amplectuntur, ut ſtrangulent.* Ignorat homo huiuſmodi inſidias, nec reſipiſcit, eſtò fugiat cogitata entitas, & appareant promiſſa tempora longa, velociſsima momenta; quippe Sol intelligentiæ ab umbris obſcuratur malitiæ, & prævalet adverſus claritatem cognitionis, depravatæ ſuffragium voluntatis, quæ quidem parvipendit rationis ſuffocationem, modò latronem amplexetur voluptatem. Vexatio aliquando dare ſolet intellectum, ſed videt animus turpiter vinctum, ac demerſum in barathrum, quò facilè demergi, ſed emergi difficile: ſiquidem, eſtò catenæ voluptatis ſint voluntariæ, ſunt catenæ.

Peccatum dulce venenum.

Senec.

Quinam latrones Philetæ?

——— Facilis deſcenſus Averni
Sed rovocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt. Pauci quos æquus amavit
Iupiter, aut ardens evexit ad athæra virtus
Dijs geniti potuere.

Virgil.

Canit vel Profanus lib. 6. *Æneid.* v. 226. Per præceps itur, & mens tenebris obnubilatur, ne anima revocet gradum, dum cognitione, vel